Eximio Viro Martino Martinio G. J. Vossius S. de ao 1629.

Vir Clarissime et amicissime, non tam natura piger sum
ad scribendum, quam imbecillitas uxoris ad scribendum pi-
grum facit. Quæ tamen nunc melinsculè habet, sed si pri-
stinæ esset valetudini restituta omnino, et pariter
remitterent minuta fortassis, sed densæ tamen occupa-
tiones meæ, quà publicæ, quà privatæ, non modò in
exarandis literis alacrior forem, sed etiam in benè me-
rendo de studiis literarum. Sed quamvis me avocent
tam multa, non tamen committam, ut non simulac licet,
literis amicorum respondeam, tardius quidem et non-
unis provocatus, sed tamen respondeam cum possim,
et ut possim operam dem. Inprimis tibi, id enim et
doctrina excellens et eximia flagitat virtus tua, atque
etiam amor erga me tuus, quem literæ tuæ semper
spirant. Atque inde etiam est, quod præclarius de me
sentis, quam merear. Nempe ut trutina, si pondus
imponatur, deprimitur, sic et judicium tuum ob
amoris accessum non parum in gratiam vergit. Sed
ego optem sic errare unum alterum ex malevolis,
qui non satis sibi in honore esse videntur, nisi eti-
am detraxerint pusillis laudibus nostris. Tibi verò et
amicorum aliis non multum damni dabit tam beni-
gna æstimatio nostri. At daret mihi, si amicorum bello
judicio deceptus alius mihi, quam sim, viderer. De ne-
gotio illo ἐρωτικῷ diu multumque cogitavi. Atque
is fuit affectus meus erga τὸν μνησεύοντα, ut opta-
rem eum ἐπὶ πέρας ἥκειν τῆς ἐλπίδος. Sed non
satis constabat, utrum vellet ἡ ἑταίρα δευτέροις
συνάπτεσθαι γάμοις. Quanquam cum viridem juventam
agitarem, facilè mihi persuadebam, non placituram ei
semper vitam, quam Grammaticorum filii quasi ut li-
cum divi ~~negantur~~. Interim omnibus nobis s. cur dissi-
mulem? φθόνον ἐνέβαλε αὐτὸς ὁ νικηφόρος.
Nec aliud quicquam tantopere in causa esse poterat
cur ἢ ἑταίρα ἐπαθῇ συγκαταζευχθῆναι τῷ Ελικω-
νι, ἢ τὰ περὶ Γερμανίαν τοιαῦτα ἔχοντα κα-
τάστασιν. Etiam eapse de causa nec nimium sibi hoc
negotium urgendum putabat ἡ ἄκοιτις. Novit enim
καλῶς οἶδε τὸν γυναικῶν ῥόθον. Δυστυχοῦσα γὰρ

Herdenius noster, huic te arbitror. Balthasarem Lydium Ecclesiasten Dordrechtam jam ante trimestre fato suo cessisse. Bibliothecam reliquit grandem, cujus pars major intra paucos menses publica auctione distrahetur. Salvere te jubet uxor. Meo etiam nomine Clarissimum Collegam Crocium salvere jubeas rogo. Lugduni Batavorum. CIↃ IↃCXXIX. die X. Calendas Majas.

Tuus G. J. Vossius

Inscriptio.

Eximio Viro Matthiæ Martinio SS. Theologiæ Doctori et Professori in inclyto gymnasio Bremensi.